

etiam venantur : hæ canoas , hoc est cymbulas miræ celeritatis è cortice compingunt , tuguriola , vbi & quando pernoctandum est , ædificant : denique præter laboriosiore venationem & bella nihil aliud quidquam viris est pensi. Hac de caussa plures fere vxores quisque habet , Sagami maximè , vt qui potentiam suam & concursum pluriū tanquam clientium tueri nequeant , non solum sine pluribus liberis , qui valeant ad terrorem & gratiam , sed etiam sine pluribus Mancipijs , quæ necessaria vitæ officia & exequantur & tolerant. Nam feminas Mancipiorum loco habent , tractantq3. Inter se mirifice liberales sūt , nihil quicquam aut fortunarum , aut sibi habere sustineat , quin partem maximā astantibus eroget , quin etiam qui Tabagiam agit , vt loquuntur , hoc est qui conuiuio alios excipit , non accumbit ipse cum reliquis , sed ministrat , neq3 partem aliquam dapis residuam sibi facit , sed distribuit omnia , ita vt famem cogatur eo die conuiuator pati , nisi quis inuitatorū , ex eo quod sibi superfuerit , miseratus ei retri-